PROSPER COLVMNA

Protbonotarius Apostolicus Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor à Sanctissimo D.N. Papa BENEDICTO XIII. specialiter electus, & deputatus.

VNIVERSIS, & singulis RR.DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurarijs, Sacristis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, Parochialiumque Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notarijs, Tabellionibus publicis, quibuscumque, illique, vel illis salutem in Domino, & Apostolicam Benedictionem = NOVERITIS fuisse nuper coram Nobis pro parte, & ad instantiam Rmi Patris Fratris Hyacinthi Serrat Commissarij Generalis Curiæ, prò Vltramontana Familia RR.PP. Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, ac V. Conuentuum d. Familiæ, & præcipuè V. Conuentus S. Francisci Villæ nuncupat. de Exea Delos Cabaleros, àc V. Conuentus S. Mariæ de Torellas Prouinciæ Aragoniæ omni meliori modo principalium comparitum, & expositum, quod licèt ex Decreto à Sac. Rituum Congregatione prolato die 3. Aprilis 1633. confirmato à sa: mem: Vrbano VIII. per specialem Constitutionem, quæ incipit. NVPER &c. præscribatur forma inuiolabilitèr obseruanda in Ordine Tumulationis Cadauerum in Ecclesijs Regularium, & eorum associatione ad prædictas Ecclesias, quod nempè pro libito Hæredum defunctorum valeant, & possint eligere sepulturam eorum Cadauerum in dictis Ecclesijs Regularium, saluis iuribus Parochialibus, quæ Regulares vnacum Parocis, & Clericis Corpora Defunctorum, ad dictas Ecclesias deferenda processionalitèr associent, quodque Hæredes prædicti, seu Executores Testamentarij minimè à prædictis Parochis cogi possint ad celebrari faciendum Officia, Nouennalia, & Anniuersaria pro defunctis, qui in Ecclesijs Regularium tumulentur, proùt in dictis Ecclesij celebrantur. Itèm ex alio Decreto dictæ S. Rituum Congregationis emanato die 14. Ianuarij 1640. prædictis Hæredibus defunctorum detur arbitrium, & libertas, quod numerum Religiosorum, & electionè Religionum pro associandis Cadaueribus ex alio Decreto lato à S. Congregatione Concilij in vna Papien., statuatur, quod numerus Religiosorum à dictis Hæredibus vocatorum pro associatione Cadauerum, non ità, & pari modo debeat esse quoad Clericos Seculares, sed sit purè arbitrium dd. Hæredum vocare maiorem, aut minorem numerum dd. Beligiosorum, & Clericorum Secularium. Item aliud Decretum à S. Congregatione Rituum prolatum 9. Decembris 1671., demandatur, quod Corpora Defunctorum in Ecclesijs Regularium tumulanda sint recto tramite per viam à Paroco declarandam ad dictas Ecclesias deferenda, non autèm, priùs ad Ecclesiam Parochialem. Itèm ex Decreto S. Congregationis Episcoporum, & Regu-

gu-

gularium, nan liceat ingredi dictas Ecclesias, sed dicta Cadauera dimittere ad Ianuam dd. Ecclesiarum, ibique illa benedicere, àc dare vltimum vale, officia verò, & alia munia ab ipsis Regularibus explenda veniant. Itèm ex alio Decreto S. Congregationis Concilij apud *Pitonum discept. Eccles. par. 2. discept. 50. num. 48.* statuatur, quod Paroci non possint prætendere maiorem quantitatem Emolumentorum Funeralium, quandò Cadauera tumulantur in Ecclesijs Regularium, quàm accipiunt, quando in Ecclesijs Sæcularibus sepeliuntur. Itèm ex alijs Decretis latis à d. S. Congregatione Concilij in vna Nouarien. Funerum super tumulatione Cadauerum Impuberum, & delatione Cadauerum ad Ecclesias Regularium, & tandem ex Constitutione S. Religionis Alexandri VI. 5. Februarij 1501., ijdem Instantes habeant priuilegium exemptionis à solutione quartæ funeralis, àc proptereà præter, & contrà formam præscriptam in prædictis Apostolicis Constitutionibus, & Decretis Sac. Congregationum nihil valeat innouari, attamen non sine scandalo Parocus Villæ nuncupat. de Exea Delos Cabaleros, alijque Paroci Prouinciæ Aragoniæ, & aliarum Prouinciarum, nescitùr, quo iure ducti, & qua ratione suffulti sese iactarunt, & iactant velle associare Cadauera ad Ecclesiam Regularem Fratrum dictæ Villæ, nisi priùs illius Hæredes in Ecclesia Parochiali defuncti Anniuersarium fundarent, aliaque peragere directæ contraria dictis Constitutionibus Apostolicis, & Decretis in graue ipsorum damnum, & præiudicium. Cupientes proptereà præcitata Decreta, & Constitutiones Apostolicas ab omnibus, quorum interest obseruari, àc debitæ executioni demandari, & ab indebitis molestijs, & iactationibus via Iuris eximi, & liberari, ad Nos proindè recursum habuerunt humilitèr supplicando, quatenùs ibi in præmissis de opportuno Iuris remedio prouidere velle dignaremur. Nos igitur PROSPER COLVMNA Iudex, & Auditor prædictus attendentes petitionem huiusmodi iustam, & rationi consonam, quodque iusta petenti non sit denegandus assensus, Vobis omnibus, & singulis supradictis tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus statìm visis, seù receptis præsentibus fueritis requisiti ex parte nostra, ìmò veriùs Apostolica authoritate; MONEATIS, & requiratis, proùt Nos monemus, & requirimus per præsentes R. D. Parochum dictæ Villæ de Exea, omnesque alios in executione præsentium nominan., & cognominan., quatenùs infrà sex dierum spatium ab executione præsentium computan., quorum duos pro primò, duos pro secundo & reliquos alios duos pro tertio vltimo, & peremptorio termino, vice pro trino Nos assignamus, & Vos assignetis ijsdem per præsentes, sub mille ducatorum aurei in auro R.C. Apostolicæ in casu &c. applicin., à pro illis mandati executiui; & in Iuris subsidium quatenùs opus sit Excommunicationis, alijsque arbitrio nostro pænis, debeat, & ipsorum quilibet, ad quem spectat, debeat Constitutiones Apostolicas, ac Decreta desupèr emanata in omnibus, & per omnia obseruanda, attendisse, & adimpleuisse, àc debitæ, totali, & omnimodæ executioni demandasse, & pro huiusmodi effectu ipsis non licuisse, nec licere declarasse renuere associare ad Ecclesiā Regularem S. Franci-

ci-

-tisci dictæ Villæ Cadauera ibidem tumulanda, non fundato priùs per Hæredes defunctorum in Ecclesia Parochiali Anniuersario, minùsque alia quæcumque peragere, quæ sint contraria, & contra formam dictarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum, quinimò ab omnibus, & quibuscumque molestijs, iactationibus, & vexationibus contrà illorum dispositionem, & formam quomodolibet illatis, & inferri comminatis, inferendisque, & comminandis in futurum omninò cessasse, recessisse, & sese abstinuisse, dictasque molestias, & cætera contria, nullas, & nulla &c. declarasse, àc tanquàm talia &c. reuocasse, ac pes Nos obseruari, attendi &c. cessarique, desisti &c. mandari vidisse; Et super præmissis Decreta quæcumque fieri, àc mandatum de exequendo, & aliud quodcumque desuper necessarium, & opportunum concedi, decerni, & relaxari, Sententiam ferri, & promulgari, Ius, & iustitiam fieri, & ministrari vidisse, expensasque refecisse, & præsentibus omninò paruisse, deducentes &c. implorantes &c. non solum &c. sed, & omni &c. & nihilominùs &c. si quis &c. compprreat &c. Alioquin prædictos sic vt suprà monitos, & monendos, si in præmissis sese grauatos fore senserint modo, & forma præmissis; CITETIS, & citari curetis, & mandetis, prouti Nos eosdem citari mandamus, quatenùs sexagesima die post præsentium executionem iuridica compareant Romæ in Iudicio legitime coram Nobis per sese, vel Procuratorem, siuè Procuratores suos legitimè constitutos cum omnibus, & singulis eorum Iuribus, causam eorum prætensi grauaminis allegaturi, aliaque dicturi facturi, prout iustitia suadebit, & ordo dictauerit rationis. CERTIFICANTES eosdem sic citatos, & citandos, quod si in d. citationis termino comparuerint, siuè non, NOS nihilominùs ad præmissa omnia, & singula, omniaque grauiora, Iuris, & facti remedio procedemus iustitia mediante, dictorum citatorum contumacia, vel absentia, in aliquo non obstante, & insupèr modò, & forma præmisso INHIBEATIS, præcipiatis, & mandetis, prout NOS inhibemus, & inhibendo expresè præcipimus, & mandamus per præsentes supradictis sic citatis, & citandis, necnon omnibus, & singulis de Partibus Ecclesiasticis Iudicibus, tàm Ordinarijs, quam Extraordinarijs, delegatis, subdelegatis, cæterisque Ecclesiasticis Iustitiæ Ministris, quacumque auctoritate, & facultate fungentibus, & functuris, ne sub iam dictis, alijsque arbitrio nostro Ecclesiasticis censuris, & pęnis audeant, seù præsumant, aut ipsorum aliquis audeat, seù præsumat &c. supradictos RR. PP. Instantes præter, & contrà formam dd. Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum dd. Sac. Congregationum innouare, seu attentare, minùsque molestare, vexare, perturbare, inquietare, vel impedire, aùt innouari, attentari &c. molestari, vexari, & perturbari facere, vel fieri, permittere, quouis sub prætextu, ingenio, vel quæsito colore, quod si secùs factum fuerit; Id totum reuocabimus, & in pristinum statum reduci curabimus, Absolutionem verò præmissorum Nobis, vel superiori Nostro tantummodò reseruamus. In quorum omnium, & singulorum fidem &c. Datum Romæ ex Palatio Magnæ Curię Innocentianæ in Monte Citatorio anno ab eiusdem D. N.

Iesu

Iesu Christi Natiuitate millesimo septingentesimo vigesimo quarto Indictione secunda, die verò secunda mensis Decembris Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris, ac D.N.D. Benedicti Diuina Prouidentia Papæ XIII. Anno primo.

P. Columna A.C.

Saluator Paperozzius A.C. Notarius.

Loco ✠ Signi.

Lib. Mem. fol. 172.

Monitorium super obseruatione, & executione Iact. Iact. cum Inhibitione.

NEcnon referuntur aliæ resolutiones dictæ Sac. Congregationis tenoris sequen. videlicèt.

Cadauera Impuberum non debent ex aliqua speciali consuetùdine sepelliri in sepultura designata existente in Ecclesia Parrochiali, sed licitum est Parentibus, tàm antè, quàm post mortem illorum pro eis sepulturam eligere, eaque tumulari facere in proprio sepulcro in Ecclesia Regularium existente: ad dictam autem sepulcrum Maiorum deferri possunt eadem Cadauera absque associatione Parochorum, & Cleri Secularis post eorum monitionem ad interueniendum funeri, & recusantium: Parochis verò interuenientibus siuè associatis, siuè non ab alijs Concanonicis eiusdem Parrochiæ distribui debeat candela maior illa, quæ datur Superiori Rgularium associato ab alijs Fratribus, proùt declarauit Congregatio Concilij *in Nouarien. Funerum 15. Martij 1704. apud Monacell. in Formul. pract. par. 2. tit. 13. formal. 1. sub num. 92.*

Dicta Cadauera deferri valent ad Ecclesiam in quacumque hora diei, non autem de nocte, nisi de licentia Ordinarij: Nec Parochi sub aliqua, & quacumque prætensione possunt diferre, vel impedire ne tempore debito Cadauera ad sepelliendum deferantur: Parochis autem impedientibus, licitum sit Hæredi post expectatum triduum à morte defuncti ducere funus (non tamen de nocte) ad Ecclesiam in qua Cadauer est sepelliendum: Nec dicti Parochi cogere possunt Hæredes ad peragendum in Ecclesia Parrochiali omnes functiones Missæ solemnis accensis luminibus in singulis Altaribus, anniuersariorum, quæ fiunt in Ecclesia Regularium occasione funerum: nequeunt quoque ijdem Parochi cogere eosdem Hæredes, vt celebrare faciant Missas pro Defuncto singulis Sacerdotibus Secularibus funus associantibus: Nec denique in prætensa associatione Cadauerum sunt per Hæredē defuncti in æquali numero conuocandi tot Sacerdotes Seculares quot conuocantur Regulares, proùt declarauit, & respond t Sac. Congregatio Concilij *in dicta Nouarien. Funerum apud Monacell. supra citatum.*

Romæ 1724. Typis Reu. Cameræ Apostolicæ.